COMMENTATIO HISTORICO-PAEDAGOGICA

DE

PLATONIS RE GYMNASTICA.

SCRIPSIT

ALEXANDER KAPP,

PHILOSOPHIAE DOCTOR, ARTIUM LIBERALIUM MAGISTER AC PRIMARUM PRAECEPTOR IN GYMNASIO MINDENSI.

HAMMONAE,

IN LIBRARIA H. SCHULZ.

MDCCCXXVIII.

Τὸν κάλλιστα μουσικῇ γυμναστικὴν κεραννύντα καὶ μετριώτατα τῇ ψυχῇ προσφέροντα, τοῦτον ὀρθότατ' ἂν φαῖμεν εἶναι τελέως μουσικώτατον καὶ εὐαρμοστότατον, πολὺ μᾶλλον ἢ τὸν τὰς χορδὰς ἀλλήλαις ξυνιστάντα.

Plat. Polit. lib. III. p. 412. a.

Prooemium.

Scriptionum, quibus res Platonicae, cum ad philosophiam, tum ad singulas doctrinas pertinentes, et explicantur et docentur, hodie plures, quam unquam gentium reperias. Neque id sine causa ita habere, facile e vera disciplinarum tractandarum ratione, quam magis magisque agnoscunt viri docti, colligi potest.

Satis quidem constat inter nos, omnium, quas novimus et colimus, disciplinarum alias ad historiam generis humani, alias ad historiam, quam vocant, naturalem spectare; quas ad solas philosophiae ipsius, quae per se una est, pars et idealis et naturalis, quae dicuntur, ita descendunt, altera ad alteram, ut singulae inter se conjunctissimae sint, sibi invicem auxiliariae et administrae, idealis philosophia et historia generis humani, naturalis et philosophia et historia. Atque ex nostro quidem genere quotquot excultae sint per saeculorum spatia doctrinae, humanas tantum res complectentes, earum vis finisque eo dilucidius apparebit, quo studiosius in historiis, quibus natae sunt, cognoscendis fuerimus versati; nam paucos tantummodo fugit, historiam, quae omnis rei ideam vel notionem e partibus undique evolutis sola exhibeat, hominum genere aetate longe provecto, naturae et disciplinarum et artium perspiciendae esse utilissimam. Qua re considerata, recentioris memoriae viri eruditi et cujusque doctrinae historiam tractare coeperunt, praeterquam quod statum, qualem jam obtineret, tradebant. Neque nostrates ulla in re neglexerunt illam, quae vi atque gravitate omnes ceteras antecellit, artem educandi, alii explicantes totam ejus historiam, de quibus honoris causa aequum est nominari Niemeyerum et Schwarzium [1]), viros de hac doctrina meritissimos, alii majores minoresque partes permultas.

Qua de causa equidem non dubitavi, quum meae jam partes essent commentationis, quae quotannis edi solet, scholasticae conficiendae, breviter, quae Plato de quadam educationis parte nobis tradiderit, explicare; praesertim quod studio hujus philosophi, qui est idem, quo cognomento adhuc caruit, summus educator, jam dudum occupatus, occasione mihi oblata haud gravate utor, qua

1) Quorum alter historiam artis educandi delineavit in: Grundsaetze der Erziehung und des Unterrichts. Tom. III. p. 311 — 406. Ed. VII. Hal. 1819; alter totam primus copiosius exposuit in: Geschichte der Erziehung nach ihrem Zusammenhang unter den Völkern von alten Zeiten her bis auf die neueste II. Tom. Lips. 1813.

fieri possit, ut pro meis viribus, quamvis in re modo abrupta, ipsum expeditiorem sim redditurus. Sed mihi varias educationis animo lustranti partes, et universae, ad nationis cultum spectantis, et specialis, quae vocatur, singulos amplectentis ad humanitatem informandos, de quibus Plato sententias passim et praecepta dedit, non illa quidem suae solius aetatis hominibus, sed toti, quod vivet, generi commendanda, nihil dignius est visum, de quo hisce pagellis scriberem, quam quodcunque ab illo est de gymnastica disputatum. Qua arte sicubi educationem juventutis orbatam videmus, historiam omnium saeculorum perlustrantes, non longe aberat, quin viri, rem sapienter periteque callentes, mancam educandi rationem cuperent integram suisque numeris absolutam reddere; quam vero si alibi admissam conspicimus, haud semel accidit, ut, qua norma ad certam ipsa educandi rationem temperata pueros juvenesque conformandos bene curet, ea non alium in eventum excederetur, ac si id, quod mentem ferret et oculis spectaretur, potius servandum esset atque excolendum, quam id, quod in corpore inesset regens atque imperans vi divina. Quae cum ita sint, quis duos hic non viderit effugiendos scopulos? quos non offendere, majus prope aliquid, quam quod a nostris disciplinae publicae magistris praestari queat, esse videtur. Idcirco, quod ad rem plurimum facit, ne illius arti cultus nostro tempore abjiciatur, non eorum modo sententiae, qui nunc aetatem degunt, summum nimiumque consiliorum et factorum moderantes, audiendae sunt, verum eorum quoque ingeniorum, quae, in Veterum ordine stantia, voces ad nos emittunt gravissimas, ubi labamur, e recto rerum modo cedentes. Quorum quodnam de nostra re gymnastica arbitretur quisquam graviore cum auctoritate eaque sapientiore dijudicare posse, quam, quem Cicero quasi deum philosophorum declarat, illum ipsum Platonem? Ergo non paulum forsan juvabit, si, quaecunque ille hac de re scripserit, tum sententia presse reddenda, tum, quotiescunque nostra cogitandi dicendique ratio admittet, verbis ipsius integris, idque Astio V. C. maximam partem interprete, absolvamus, sic quidem, ut jam de principio omnia ab illo de educationis notione et vi atque ejus utraque inter se necessario conjungenda parte exposita paucis praemittamus; quae si relicta essent, non habueris, quo pacto, quae de ipsa corporis exercendi arte verissime senserit, perspicias. Quo facto, nostrum esse poterit, considerare, quatenus Platoni concinamus, vel potius, quam late ejus et doctrina et praecepta pateant, quamque vere sint idonea, quae nostra gymnasticae studia, ubi languescere coepere, tam resuscitent, quam, ubi ultra modum progrediuntur rectum, moderentur.

I.

Educatio quid sit quidque valeat, atque quanam inde ratione gymnastica una cum arte, quae vocatur, musica oriatur necesse sit. Accedunt adjumenta harum artium discendarum publica.

§. 1.

Summam educationis dicimus esse in disciplina a pueritia instituta, quae virtutem spectet, idque efficiat, ut idem et perfectus fieri civis cupiat et juste tam imperare, quam parere velit [2]; vel eam esse statuimus, ut pluribus persequamur, puerorum ductum et institutionem ad rationem rectam a lege praescriptam, quam moderatissimi maximeque aetate provecti, experientia edocti, re vera esse rectam consentiant [3], quaeque puerorum animis mores convenientes ingeneret, quibus, quum rationem perceperint, assentiantur recte se imbutos esse, ita educatos, ut odium habeant ejus, cujus odium haberi oportet, statim ab initio ad finem, diligant vero, quae diligi oportet [4]. Quodsi hanc educationem separantes verum judicamus cultum, is, qui ad pecunias spectet vel ad robur aliquod aliamve quam sapientiam a ratione et justitia sejunctam, sordidus et illiberalis erit, nec omnino dignus, qui cultus nominetur [5]. Nam fieri solet, ut homines, licet nonnumquam sint in rei cauponiae et nauticae aliarumque id genus negotiis admodum versati, illo tamen careant vero cultu [6].

2) Legg. lib. I. p. 643. d. e. Ed. Stephani, ex qua omnes deinceps loci sunt allegati. —
3) Legg. II. 659. d.
4) Legg. II. 653. b. c.
5) Legg. I. 644. a.
6) Legg. I. 643. e.

§. 2. [7]).

Sed notio, quam posuimus, artis educandi quo minus in hominum vita probetur, prohibent morbi et corporis et animi, quorum hi illos excipientes, si rem recte spectes, ex malo corporum habitu proficiscuntur. Ad talem vero habitum quum civitates accedunt pravae et sermones hujusmodi in civitatibus privatim et publice conferuntur, praeterea disciplinae neutiquam his medentes a pueris percipiuntur, pravi omnes, qui pravi evadimus, duabus de causis exsistimus, minime e voluntate nostra aptis. Quorum quidem culpa procreantibus magis attribuenda est, quam procreatis, et educantibus magis, quam educatis; quare jam de corporibus et animis curandis, quibus remediis adjuvantibus conserventur, consentaneum et conveniens est exponi [8]). Quod plane et clare ut perficiatur, paulo altius repetentes, primum animi naturam, tam divini quam humani, disseramus.

Omnis animus se ipse movet, se ipse non deserens, quin etiam ceteris, quae moventur, fontem et principium praebens movendi; quo fit, ut sit immortalis, i. e. neque oriatur, neque occidat. Simul animus omnis omne curat inanimatum omneque caelum percurrit, alias in aliis formis exsistens; jam qui perfectus et pennatus est, sublime fertur et universum mundum administrat, qui vero pennas amisit, fertur, donec solidi aliquid prehendat, in quo si domicilium collocavit, corpus terrenum, quod se ipsum per illius vim movere videtur, assumit; et animans hoc totum appellatur, animus simul corpusque compactum, mortalisque accipit cognomen [9]). Hominum igitur patet naturam illo, quod se ipsa movet, constare, quemadmodum omnino id, quod esse videtur, et id, quod fit, motione efficitur non esse autem et interire ex quiete proficiscitur; calor enim et ignis qui quidem etiam cetera gignit ac regit, ipse gignitur ex incitatione ac frictione; haec autem motio est [10]).

---

7) Ad §. 2. et 3. vide Tim. 86. b. — 90. d.
8) Tim. 87. b. c.
9) Phaedr. 245. c. d. e. 246. b. c.
10) Theaet. 153. a.

Quibus de humano animo atque homine toto praemissis, jam, quae sit via, qua morbis et animi et corporis sit medendum in educando, magis perspicue ostendere poterimus. Motio videlicet utriusque est; nam corporum habitus nonne quiete et segnitia perit, exercitationibus vero et motionibus maximam partem conservatur? Animi autem habitus nonne disciplina et meditatione, quae motiones sunt, sibi acquirens doctrinas et conservatur et melior exsistit, quiete vero, quae exercitationis negligentia et inscitia est, neque quidquam discit, et, quae didicit, obliviscitur? [11]. Sane quidem; sed ut illae motiones et ad animum et ad corpus spectantes suam quaeque vim habeant, neque incommoda inferant homini, non providebimus, nisi sententiam tenentes, non animi modo naturam insigniter perspici non posse sine universi natura, sed, si quidem Hippocrati ab Asclepiadis oriundo fides habenda est, ne corpus quidem, nisi hac addita ratione [12]. Nam ad bonam et malam valetudinem, virtutes et pravitates nulla moderatio major est, quam animi ipsius ad corpus ipsum; quorum nihil perpendimus, neque intelligimus, animum robustum omnibusque partibus magnum quum imbecillior minorque species vehat, quumque contrario modo ambo sint compacta, non pulchrum esse totum animans (abhorrere enim maxima a convenientia et moderatione), id vero, quod contra se habeat, omnium esse spectaculorum ei, qui perspicere possit, pulcherrimum et amabilissimum. Quemadmodum igitur corpus, quod grandiora habet crura, vel alio quopiam habitu nimio affectum sibique haud conveniens nec moderatum est, simul deforme se exhibet simulque in laboribus ferendis multoties contorquetur, vacillat, lassatur et concidit infinitaque sibi mala infert, idem existimandum est etiam de utroque conjuncto, animans quod appellamus: quando videlicet in eo animus insit corpore potentior exsultansque, eum concutere totum corpus intusque morbis implere, et, quum ad disciplinas aliquas et quaestiones contente aggrediatur, liquefacere; docentem porro et altercantem publice et privatim, lites quum exoriantur et contentiones, fervidum illud reddere ac solvere, atque flu-

11) Theaet 153. b.
12) Phaedr. 270. c. cf. Charmid. 156. e.

xiones inferentem plurimos medicorum, qui dicuntur, adeo fallere, ut contrariis causam attribuant; contra si corpus ingens nimisque segne copulatum fuerit cum pusilla et imbecilla mente, tum potentioris naturae, quae quidem alimenti, non sapientiae cupida est, agitationes, superantes remque suam augentes, animum vero hebetem et indocilem et immemorem reddentes, maximum morbum, inscitiam, efficere. Una igitur amborum salus reperitur, si neque animum sine corpore movemus, neque corpus sine animo, ut contendendo evadant aequalia inter se atque sana [13]).

§. 3.

Doctrinarum igitur studiosum vel in alia quapiam meditatione mentisque exercitatione versantem corporis quoque motionem adjungere oportet, gymnasticam [14]) tractantem, eum contra, qui corpus sedulo fingit et excolit, animi adjungere oportet motiones, musica universaque philosophia utentem, si quidem jure uterque voluerit simul pulcher simulque vere bonus appellari. Eadem vero hac ratione, qua totum, sunt partes quoque curandae.

Etenim corpus, quum ab iis, quae ingrediuntur, uratur intus et refrigeretur, rursusque a rebus externis exsiccetur et humectetur, eaque, quae cum his conjuncta sunt, patiatur, si quiescens traditur motionibus, perit superatum; at si quis, quam altricem et nutricem universi appellaveris, imitatur naturam, neque corpus omnino unquam quiescere sinit, sed movet, et, concussiones semper aliquas ei injiciens, usque quaque secundum naturam repellit istas interiores et exteriores motiones, modiceque concutiens affectiones in corpore vagas ejusque partes pro cognatione in ordinem inter se adducit, non inimicum inimico admotum sinet bella inferre corpori atque morbos, sed id contendet, ut amicum amico adhaerens sanitatem efficiat. [15]). Ex motionibus autem optima est, quae ipsa in se

---

13) Tim. 87. d. — 88. b.
14) Tim. 88. c. cf. Polit. II. 376. e.; III. 411. e., 412. a.
15) cf. Gorg. 452. b. Gorg. 504. b. Phileb. 25. Symp. 186. a. Polit. IV. 444. c. d. e.

a se ipsa concitatur (maxime enim mentis et rerum universitatis motioni cognata est), quae vero aliunde concitatur, deterior; deterrima autem, si jacens et quietem agens corpus per alia particulatim movetur. Quocirca purgationum et confirmationum corporis ea, quae per exercitationes fit, optima [16]), secunda vero ea, quae per pensiles gestationes fit in navigando et quaecunque alia vectura est haud laboriosa; ac tertia motionis species, tunc demum, cum summa cogit necessitas, admodum utilis, alio vero nullo modo prudenti admittenda, sanatio est, quae medica purgatione peragitur. Morbi enim, nisi magna intendunt pericula, non sunt irritandi medicamentis; nam quaevis morborum constitutio animantium naturae quodammodo similis est. Etenim horum compositio ab ipso generationis exordio habet certa vitae tempora, tam genus universum, quam animal quodque per se, quod, quum ab affectionibus necessariis discesseris, fatali utens vita nascitur. Eadem igitur ratio est morborum constitutionis, quam si quis praeter necessitatem corrumpit medicamentis, simul e parvis magni, e paucis multi evadere consueverunt. Quocirca praescripta victus ratione corrigendi et gubernandi sunt omnes morbi, quantum quis otii habeat; non medicamentis adhibitis malum grave est irritandum. Ac de communi quidem animante ejusque parte corporea, quomodo quis gubernans et gubernatus a se ipse rationi convenientissime vivat, satis sit dictum.

Ipse vero animus, qui gubernaturus est, magis sine dubio et prius praeparandus pro viribus, ut quam pulcherrimus sit et aptissimus ad gubernandum. Cujus tres partes trifariam in nobis constitutae sunt, quarum quae in segnitia vivat et motionum suarum quietem capiat, eam imbecillimam necessario exsistere nos non fugiet; quocirca curandum est, ut motiones habeant inter se congruentes pro cujusque natura. Quod primum attinet ad partem cupiditatibus deditam (τὸ ἐπιθυμητικόν), ea servanda est, ne impleta corporis, quae dicuntur, voluptatibus amplaque ac valida reddita jam non suam rem gerat, atque cogenda, rationi (τῷ λογιστικῷ), quippe quae sapiens

16) Sophist. 226. e.

sit et universi animi procurationem habeat, ut se subjiciat; quod quo facilius fiat, iracundiae vigor (τὸ θυμοειδές) praesto esse debet ad illius vim cohibendam, rationi obediens ejusque decreta fortitudine exsequens [17]. At enim hac inter animi species concinnitate praecepta, de praestantissima existimandum, deum cuique eam dedisse ut genium, qui in summo corpore habitet et propter caeli cognationem nos a terra, tanquam animantia non terrena, sed caelestia, attollat; quare is, qui, huic genio observando dicatus, discendi amorem veritatisque cognitionem coluit, et in his prae ceteris rebus se exercuit, quantum natura humana immortalitatis potest compos esse, ab ea nullo modo deficiet; quamquam ad omnes tres species pertinet cultura haec, ut convenientes cuique motiones ac tanquam pastus attribuamus. Quae omnia si concinne, et ista quidem ratione, in hominis cultum cadunt, fieri non potest, quin exsistat ille, qui justitia dicitur, animi habitus, quem sine controversia quarumlibet virtutum esse contendimus summam, simul id, quod animo et instituendo et educando consectamur [18].

§. 4.

Itaque ex iis, quae modo de gymnasticae et musicae vi ac natura diximus, alteri sanitatem progignendam, alteri justitiam tribuentes, elucet malae turpisque educationis in civitate certissimum esse argumentum, si medicis et judicibus perfectis indigeant non solum ii, qui viles sunt artesque illiberales exercent, verum etiam ii, qui liberalem prae se ferunt institutionem. Namque altera instituendi disciplina, etiamsi ad corporis tantum deformitatem pertinere videatur, medicina morbis medente, a principio tamen atque continuo ad morbos quoque opprimendos adsciscitur. Atque eodem modo musicam seu mentis conformandae artem ad universam quidem ignorantiam spectare, tanquam animi deformitatem, sed pravitates animi etiam vel morbos, ex seditione illos eorum, quae natura cognata sunt, oriundos, i. e. injustitiam, insolentiam, timiditatem, vica-

17) Politia IV. 434. c. — 444. d. Tim. 70. — 71. a.
18) Politia IV. 444. c. d. e.

ria ratione in virtutes contrarias convertere educando, recte contenderit quispiam, etsi istis pravitatibus omnium artium proprie accommodatissima sit castigans jurisdictio [19].

Sed vita, quae, gymnastica et musica opitulantibus, corporis omnino et animi curam ad virtutem assequendam elegit rectissime, omni plena sit vacatione; nulla enim opera subsiciva impedimento esse debet, quo minus liberorum filii, uti corpori labores et nutrimentum conveniens, sic animo tribuant disciplinas et mores [20]; ideo somnus quoque prorsus fugiendus est multus, qui neque corporibus, neque animis nostris, neque rebus hac in causa gerendis consentaneus est natura [21]. Gymnasia igitur et scholae media in urbe sunt tripartito aedificanda; foris autem circa urbem tum equorum gymnasia similiter tripartito exstruenda, tum loca spatiosa ad sagittandi jaculandique exercitia accommodanda; in his vero omnibus praeceptores peregrini, qui, in quoque genere mercede adducti, ibi habitant, docere debent omnes, quae ad bellum et musicam pertinent, disciplinas eo ventitantes juvenes, non ita quidem, ut is duntaxat filius, quem pater voluerit, ludum frequentet, quem vero noluerit, is disciplinas missas faciat [22], neque ut aut pater filio permittat, aut ipsi, vel discendi cupido vel non cupido, permissum sit longius vel brevius tempus in his rebus contra leges sumere, sed, quod ajunt, quivis vir et puer pro viribus, quippe qui magis sint civitatis, quam parentum, necessario instituendus [23]. Qui vero ad humanitatem sunt informandi, sine paedagogis quibusdam non frequentabunt scholas vel gymnasia; nam pueros, quum, quo magis prudentiae fontem nondum habent, eo difficiliores prae omnibus animalibus ad tractandum sint, primum, a nutricibus et matribus ubi discessere, oportet per paedagogos, quasi frenos quosdam, vinciri, praeterea quoque per magistros cujuscumque artis et per disciplinas, utpote

19) Politia III. 404. e. — 405. e. Sophist. 226. e. — 229. a.
20) Legg. VII. 807. c. d.
21) Legg. VII. 808. b.
22) Legg. VII. 804. c. — d.
23) Legg. VII. 810. a. 804. d.

liberos [24]. Ad hoc musicae et gymnasticae praefectos constituere decet, duplices utriusque, alios institutionis, alios artis concertatoriae causa. Qui institutioni praesunt, gymnasiorum et scholarum ordini et disciplinae prospiciant rebusque ad haec pertinentibus, ut pueri decenter ventitent et commorentur. Concertationem vero qui curam habent, in gymnicis et musicis ludis certantibus praemia decernant, duplices etiam hi, alii in musica, alii in concertatione [25]. Denique reliquus est magistratus in rebus a nobis ante prolatis, qui institutionis universae procurationem habeat; unus igitur hic quoque sit praefectus secundum leges, annos natus non minus quam quinquaginta, liberorum legitimorum pater, maxime quidem filiorum et filiarum, sin minus, liberorum alterius sexus; existimet autem ipse ceteris antelatus et anteferens hunc, qui in singula quinquennia tradi solet, magistratum summorum in urbe magistratuum esse longe praestantissimum [26].

Ad gymnasticam vero pueri jubeantur inde ab anno septimo aetatis ad undecimum usque studiose se dare [27]. Quae tamen totam per hominis vitam peragetur [28], senectutis demum annis absolvenda, ubi senibus lavationes calidae, quae corporibus eaedem et aegrotantium et laboribus defessorum succurrunt juvantes, parabuntur [29].

II.

De corpore ipso gymnasticis exercitationibus colendo.

§. 5.

Quamquam corporis cultum animi institutioni non esse postponendum,

24) Legg. VII. 808. d. e.
25) Legg. VI. 764. c. d.
26) Legg. VII. 813. c. VI. 765. d. — 766. b. VII. 813. c.
27) Legg. VII. 809. e.
28) Politia III. 403. c.
29) Legg. VI. 761. c.

sed aequabili cura cum ea exercendum jam statuimus, tamen, quoniam gymnasticae studia apud nostros musicae nunquam non solent superare, atque hanc ob causam ea, quae modo de educatione et sensimus et praecepimus, ad persequendum ac tractandum sunt difficiliora 30)), id nobis servandum videtur, quod non corpus recte affectum sua ipsum virtute animum bonum efficit, sed contra animus bonus sua ipse virtute corpus reddit quam potest optimum[31]. Qua fere sententia recte quoque dixerimus animum nobis priorem corpore esse, et corpus secundum posteriusque animo, qui hoc imperio suo subjectum regat[32]; neque animi modo virtutes, temperantiam, justitiam, sapientiam, quanto ipse corpore sit praestabilior, tanto digniores esse, quae hujus habitui, robori et pulchritudini cum sanitate, anteponantur, sed in universum etiam genera ad animi curam spectantia, quo majorem habeant veritatem atque vim, eo pluris, quam genera ad corpus colendum pertinentia, ducenda esse. Quam ob causam is, qui sapit, ita vivet, ut omnia sua ad hoc dirigat, in primis disciplinas, quae talem ipsius animum effecturae sint, in honore habens, ceteras vero contemnens; deinde corpus ut colat et nutriat, ferinae rationeque carentis voluptatis causa, tantum aberit, ut ne sanitatem quidem respiciat, nec hoc prae ceteris spectet, ut robustus vel sanus vel pulcher existat, nisi etiam prudentiam inde assecuturus sit, sed semper corporis concinnitatem animi concentus causa temperans reperietur[33].

Unde patet, nostris pueris juvenibusque exercitatione non opus esse athletarum, virorum maximi certaminis, verum scitiore quadam, quae quidem simplex ac maxime sit eorum, qui, exercitationes laboresque sub-

---

30) Haec verba in parenthesi seclusa, ut, quae praecedunt, cum sequentibus satius concinant, de nostro quidem addidimus, sed quemadmodum ratio hujus Platonicae doctrinae interpretandae ipsa requirit. De qua vide in Epilogo. —

31) Politia III. 403. d.

32) Legg. X. 896. b. c.

33) Politia IX. 591. b. c. d.; 585. d.

euntes, ad animosam naturae partem magis respiciant, quam ad robur, neque, quemadmodum athletae, roboris causa victum instituant laboresque sustineant. Igitur etiam ii, qui musicam et gymnasticam condiderunt, non eam ob causam, quam nonnulli ponunt, condiderunt, ut altera parte corpus curaretur, altera animus, sed utramque animi causa maxime videntur instituisse [34].

§. 6.

Namque quis est, qui non intelligat, qui gymnasticam totam per vitam exercuerint, musicam vero non attigerint, eos feriores, quam par est, exsistere, ignorantia et stoliditate plenos atque concinnitatis et venustatis expertes, simul vi et feritate, tanquam belluas, omnibus partibus agentes; contra qui musica utantur mera, eos molliores vicissim evadere, quam decet, excandescentia iis ejecta et velut nervis animo exsectis? At enim neminem praeteribit, si quis moderatissime cum musica gymnasticam commisceat, eum, utraque intemperantia sublata, pro feritate et duritie, mollitie et mansuetudine sibi modestiam et moderationem, animum virilem et fortitudinem esse reconciliaturum. Ad haec igitur duo, ut patet, deum nos quidem diximus dedisse hominibus musicam et gymnasticam, ad animosam et ad philosopham indolem, non ad animum et corpus, nisi subsicivis operis id fiat, sed ad illa, ut inter se, quatenus par est, concinerent intenta et remissa. Quem concentum ipsa utriusque artis temperatio effectura, alterum intendit et nutrit sermonibus pulchris ac disciplinis, alterum remittit, delenit, mitigat harmonia et numero, ut ambo parti ad cupiditates propensae bene praeesse queant, atque ita, suam quaque animi partium rem gerente, ipse homo totus exsistat et perfectus [35].

§. 7.

Tali jam ratione athletarum et exercitia intentissima et victum vivendique rationem nos oportet vituperare, ut quos videmus vitam dormi-

34) Politia III. 403. e — 410. c.
35) Politia III. 410. c. — 412. a.

endo traducentes et, si paulum migraverint praescriptum vitae ordinem, gravibus morbis vehementer conflictantes. Nostrorum contra juvenum victus simplex est, qualem ab Homero jam didicerit quispiam, cibis milites suos pascente simplicibus neque ulla magna praeparatione indigentibus, praesertim nunquam condimentis; etenim in bello veluti canes vigiles oportet eos esse, et quam acerrime videre atque audire, multasque vicissitudines in expeditionibus aquarum, ciborum, calorum ac frigorum perpetientes non proclives esse ad morbum [36]. Qua de causa corpora eorum a Syracusana mensa, vel Sicula opsonii varietate, vel atticis placentis, quae videntur esse deliciae, abstinebunt [37]; accedit, quod legem feremus, ne usque ad annum duodevicesimum omnino vinum gustent, docentes, non oportere id, tanquam ignem igni, corpori et animo infundi, priusquam ad labores incipiant progredi; deinde ut vinum quidem gustent moderate ad tricesimum usque annum, ebrietate autem et vinolentia prorsus juvenis se abstineat [38], quum hoc certe nos arbitremur e medicina perspexisse, incommodum esse hominibus ebrietatem [39]. Denique Corinthiam amicam habere vituperabimus viros corpore valituros. Quam universam vivendi rationem commendamus, propterea quod eam carminum compositioni et cantui omnes harmonias numerosque volventi comparantes nos id non latet, quod ibi varietas gignit incontinentiam, hic morbum, simplicitas autem musicae in animis temperantiam, gymnasticae in corporibus sanitatem [40].

Palaestritae igitur et medici est, cibos, qui sint salubres, qui insalubres, exploratos habere, nam v. g. fieri potest, ut bubulae carnes, quae pancratiastae corpori robusto conducant, aliis, illo debilioribus, minus conduciles justaeque sint [41]. Praesertim iis non est praetermittendum,

---

36) Politia III. 403. e. — 404. b. cf. Rival. 132. c. sqq.
37) Politia III. 404. d. cf Gorg. 510. b. c.
38) Legg. II. 666. a. b. 674. a. b. c.
39) Symp. 176. d.
40) Politia III 404. d. e.
41) Protag. 313. d. Gorg. 517. e. 518. a. Crit. 476. Polit. I. 338. c.

quemadmodum mutatio omnibus in rebus, velut in omnibus anni temporibus, in ventis, longe periculosissima reperiatur, sic quoque, si a corporum victu, ut a moribus animorum, deflexeris, periculum afferri; nam si corpora cibos, potus, labores mutare coguntur, ab initio turbata a morbis non prius restituuntur, quam novum victum, ut sibi acceptum, assumserunt [42]. Itaque medicus vel palaestrita, qui, imminente peregrinatione, ab iis, qui ipsi curae sunt, ad longinquum tempus abesse vult, si illos memoria praescripta non esse custodituros opinetur, commentarios conficiet; at si praeter opinionem ad brevius tempus peregrinatus reverterit, alia, quam illa, praescripta instituet praecipere, si quidem, rebus mutatis, alia magis conducant [43]. Praeterea palaestritae et medici, cum corpus curent, qui videantur valido esse corpore, eos vere non esse, facile sentient [44].

§. 8.

Gymnastica, quam quidem occepisse primos Cretenses, deinde Lacedaemonios notum est [45], duas fere partes amplectitur, alteram luctationem, alteram saltationem [46]. Illa, quae, quamvis laboriosa, a nobis utilitatis, roboris et valetudinis, causa, tractatur [47], ad cervicem, manus lateraque explicanda spectat, ut ea simul cum contentione habituque decoro exerceantur [48]. Saltatio autem bonum habitum, levitatem et pulchritudinem corporis membrorum et partium efficit, ut con-

42) Legg. VII. 797. d. — 798. a.
43) Politico 295. c. d.
44) Gorg. 464. a.
45) Politia V. 452. c. d. Legg I. 636. b.
46) Legg. VII. 795. e. Gymnasticam omnem, si ita bifariam digeritur, videmus altera parte, saltatione, arcte cohaerere cum musica, quippe quae saltandi motibus dedat numerum, harmoniam, orationem. Id quod elevat palaestricae seu luctandi artis labores, cui Platonem ceteras, quae et ipsae, ut luctatio, quinquertio continentur, exercitationes, disci, cursus, saltus, pugilatus, mente subjunxisse jure suspicamur. Palaestricam enim, quia arti gymnasticae, eique angustioris ambitus, maximam vim adspergit, hujus loco ponit.
47) Politia II. 357. c. d.
48) Legg. VII. 796. a.

grua flexio et extensio singulis tribuatur, motusque eorum numerosus in universam saltationem satis se effundat eamque sequatur [49]; qualem vim si eam habere volumus, oportet sumi in primis saltationem pulchriorum corporum, quae in graviorem partem imitetur; attamen alteram etiam turpiorum, ut infra causa addita probabimus, quae in vilem partem; rursusque levioris partis duae gravisque duae aliae sunt species; atque gravis quidem saltationis una est species, quum bello violentisque laboribus implicata sunt corpora pulchra animusque virilis, altera, quum animus temperans in rebus secundis et voluptatibus moderatis versatur. Hanc pacatam recte quis dixerit saltationem, illam vero bellicam, a pacata diversam, pyrrhichen, quae, ut eam uberius etiam describamus, flexus corporum imitatur, quibus plagae et ictus vitantur declinando, quavis ratione cedendo, exsiliendo in sublime, sese demittendo, quaeque contrarios item gestus, quibus mali quiddam aliis affertur sagittando, jaculando, caedendo, exprimit [50]. Hae vero omnes, quae in universum saltatione simul et cantu conficiuntur, choreae, quarum et gestum et modum et cantum et saltationem honestae esse notae jubemus, Musis et Apollini a Diis dicatae sunt, atque, si a senibus quoque celebrantur, Dionyso; ceterum serviunt tum bellicis exercitationibus, tum supplicationibus pompisque in Deorum honorem agendis [51]. Ubicunque vero et quandoque choreae instituuntur, corpora pulchra et animi ingenui et imitandi et exprimendi sunt, deformium autem corporum et cogitationum qui sunt motus, eorumque, quae ad risum et cavillationes conversa sunt, eos verbis quidem et cantu et saltatione ludibrii causa ostendi, sed a nostris spectari tantum et cognosci licet; attamen cognoscantur velimus, quod sine ridiculis seria omnibusque contrariis contraria disci nequeunt, si quis prudens est futurus; facere autem non potest utraque, qui vel parum vult virtutis particeps fieri, sed servis

---

49) Legg. VII. 795. e.
50) Legg. VII. 814. e. — 815. a. cf. 815. e.
51) Legg. II. 654. e.; 653. d. 665. a.; VII. 796. b. c. d.

et peregrinis, mercede conductis, ut ridicula imitando exprimant, mandandum [52].

§. 9.

Latiorem etiam gymnasticae ambitum si consideramus, palaestricae et saltandi arti adjungere nobis licet tacticam et venandi artem, additamenta necessaria ex illaque profecta [53]. Tacticae quidem sunt omnes bellicae corporis exercitationes, velut sagittandi omninoque jaculandi, pelta pugnandi omnisque armatae dimicationis, atque etiam exercitus in acie constituti expeditionum, omnis profectionis militum, castrorum ponendorum rationis, et quaecunque ad artem equestrem spectant disciplinae [54].

Quod proprie attinet ad artem armis pugnandi, videtur nobis juvenibus passim utilis esse. Etenim hoc jam, quod non aliis in rebus tempus terunt, in quibus solent juvenes occupari, quando vacant, sed in hac, bene habet, unde corpore quoque valeant necesse est; neque enim ulla exercitatione inferior est, nec minus habet laboris; simulque maxime decet liberum hominem haec exercitatio arsque equitandi; in eo enim certamine, cujus nos athletae sumus, et in iis, in quibus nobis certamen est propositum, soli hi exercentur, qui in his belli instrumentis exercentur. Deinde proderit haec ars etiam in pugna ipsa, quum in acie cum multis aliis erit pugnandum; maxima vero ejus utilitas erit, quando acies dissolutae fuerint, et jam soli adversus solum pugnandum erit, ita ut aut persequens aliquem sese defendentem adoriatur, aut in fuga ab altero adoriente se defendat; neque uni unus hujus artis peritus succumbat, neque

52) Legg. VII. 816. b. d. e.

53) Quum a primo, qnae Plato solus de gymnastica et senserit et praeceperit, in animo habuerimus referre, si quis eam, quomodo Graecis vel universis vel singulis populis comprobata atque accepta fuerit, dispicere velit, legat Hochheimeri librum: System der Griech. Paedagogik. Tom. I. p. 177. — 271. et Viethii opus: Versuch einer Encyclopaedie der Leibesübungen. Tom. I p. 24. — 135.

54) Legg. VII. 813. d. e.

etiam fortasse pluribus, sed ubique hac superet. Praeterea alius praeclarae artis cupiditatem illa excitat; quisque enim, qui artem armis pugnandi didicerit, eam etiam appetet, quae cum illa conjuncta est, ad acies illa quidem instruendas spectans; quam quum perceperit ambitioseque exercuerit, ad universum artis imperatoriae studium aggredietur. Itaque jam patet, omnes cum his conjunctas artes et studia praeclara esse omninaque digna, quae vir discat et trectet, quorum quidem initium ducitur ab hac arte. Additamentum vero haud exiguum erit hoc, quod quemque virum in bello et confidentiorem et fortiorem multo, quam antea erat, efficiet haec disciplina; neque illud insuper reticendum, etiamsi cui minutius videatur esse, et decentiorem illam efficere virum, ubi decentia sua formidolosior hostibus reperietur [55].

His ex causis arte armis pugnandi probata et commendata, tamen, si eorum, qui istam profitentur, docendi rationem consideramus ipsosque spectamus, silentio non est transmittendum, sua illos ostentatione et jactatione, quasi essent veri fortitudinis magistri, non sibimet ipsis tantum, sed arti praecipue nocere; invidiosa est enim ejus professio, ut, nisi quis mirum quam praestet fortitudine reliquis, fieri non possit, quin risui sit se dicens tenere hanc disciplinam [56].

Sed ad tacticam universam revertamur; cujus in usu, et quidem, quando ad bellum et arcu et jaculo hisque singulis uti nos oportet, multum referet sinistram manum pariter ac dextram movere posse, ut Scythae ad arcum didicere; longe vero plurimum, quando armis arma sunt pellenda. Quemadmodum igitur, qui perfecte se exercuit in pancratio, vel in pugilatu, vel luctatione, a sinistris congredi potis est, praesto se accommodans, si ad alteram partem se transferre cogitur, idem hoc, opinamur, etiam in armis reliquisque omnibus existimandum rectum, eum, qui duo habeat, quibus se defendat aliosque adoriatur, neutrum horum pro viribus sinere otiosum esse atque inscium. Namque membra, quum natura ab

55) Lach. 181. e. — 182. d.
56) Lach. 182. b. — 184. c.

utraque parte sint fere aequilibria, tum dementia nutricum et matrum, tum nostro ipsorum usu pravo differentia fiunt et quasi clauda. Curare idcirco oportet praefectas et praefectos, illas in ludis et educatione observantes, hos in disciplinis, ut integris et pedibus et manibus omnes exsistant, nec consuetudine naturam laedant [57].

De venandi generibus juvenes nostros hortamur, ne studio venationis marinae unquam se dedant, neque piscationis hamo instituendae, neque omnino animantium aquatilium, neque die noctuve nassis inertem venationem exerceant; neque etiam, piraticae desiderio indulgentes, venatores hominum immanes a legibusque aversi fiant. Furti vero cupiditas in regione et urbe committendi ne in mentem quidem veniat, neque etiam volatilium venationis amor, blandus ille quidem, sed non ingenuus, quemquam juvenum invadat. Pedestrium igitur sola venatio et captura relinquitur, ex quibus eam, quae est inertium virorum, alternis dormientium, nocturnaque appellatur, non laudamus, neque illam, quae laborum intermissiones praebens, eorum est, qui retibus et laqueis, non forti animo immane belluarum robur domant. Ita solam nobis superesse, et optimam, videmus quadrupedum venationem, quam, quicunque divinae student fortitudini, equis et canibus, in primis propriis corporis viribus peragent, cursibus persequentes, plagis, ictibus [58].

E p i l o g u s.

Hac ratione Platonis et sententias et praecepta de re gymnastica si vide-

---

57) Legg. VII. 794. d. — 795. d.
58) Legg. VII. 823. d. usque ad libri finem.

mus collecta et composita, pauca, quae illustremus leviter, occurrunt, plurima, immo paene omnia sese aperiunt ipsa legenti, nullius opera explanandi indigentia.

Ac primum notio artis totius educandi, qualis sit quidve valeat, tam lato expressa est ambitu, ut ad perfectam educationis descriptionem, in nostram aetatem repositam [59]), propius, quam cuiquam videatur, accedat. Namque si quis Platonem cives solos educandos praecepisse opinetur, non homines, qui sint generis universi, eum illud fugit, quod Graeci ad liberos cives, qui aeque homines atque civitati obnoxii ducebantur, in educando respexere; quamquam ipsa hominis natura, quas in partes quantumque in finem possit excoli, nondum plane dispecta erat, sed iis potissimum, quibus civis animum ornari putabant, virtutibus praedita cogitabatur.

Quae deinde de necessitate gymnasticam et musicam simul eademque vi ex illa notione derivandi dicta sunt, planius dilucidiusque expedita se offerunt, quam quibus audeamus lucem aliquam afferre. Necessitatem vero illam tam perspicue non exposuisset Plato, nisi illis in locis, ut in omnibus fere suis operibus praeclaris, morbum animi simili indole rationeque atque corporis statuisset in hominis natura; qua comparatione statuta et in disputando observata, philosophus noster ad ingeniosissimas de educatione sententias, easque verissimas, adductus, gymnasticae jura, qualia quantaque sint, summa evidentia docuit, justissime edixit. Quae quo majore sunt data et veritate et perspicuitate, eo magis inopinate lectorum rationem cogitandi sibi congruentem offendet, quidquid commemoratum est §. 5 et 6., ex politiae libris depromtum, ac, non multum abest, quin de gymnasticae vi et auctoritate aliquantum detrahat. Attamen quisque, diversa opera, quibus haec de eadem re prope diversa exhibentur, pervol-

---

59) cf. B. H. Blaschii V. C. librum: Handbuch der Erziehungswissenschaft p. 7 et 8, ubi legitur: Die Erziehung ist eine geistige Zeugung zur Fortpflanzung der Menschenbildung; also mittelst Erregung der Anlage zur Selbstentwickelung.

vens studiosius, mox eo veniet in legendo, ut Platonem tertio in Politiae libro, ubi momenta et animi et corporis praestantiae perpendens in animum ejusque cultum se inclinet, alio proposito ac in Timaeo 60) et Legum libris de re sua disputasse arbitretur; defendet illum, ut qui homines suae aetatis nationisque, nimis rebus corporeis studentes, animi gravitatem docere voluerit, persuasum habens, humanam naturam ultro magis ad corporis, quam animi cultum praevalere, ideoque ethicis decretis, quibus animorum cultus et salus praeferantur, hac in re potius utendum esse. Itaque ubi necesse videtur, quidvis corporis parvi ducit, ut malorum omnium originem esse nobis persuadere studeat, quasi, quamvis a vera sibique consentanea disputatione aberrare videremur, animi naturae prae corporis nimium tribuentes pretii in educando, nihilominus homines, quum praecepta prosecuti essent in rebus, utriusque naturae pariter satisfacerent. Unde fit, ut ipse laudem ferat summam, quod, non curans, quae quis atque ipse etiam de corporis humani vi atque cultu, quamvis recte praemissisque decretis congruenter, et meditetur et argumentetur, summo tuetur atque effert studio, quae nos ad caelestia attollant cognata, animum conformandum et virtutem, memor semper alterius vitae, rerum prorsus expertis corporearum. Eodem fere modo nos decet verba accipere dicta §. 8., ubi gymnasticam, quae quidem palaestricae exercitationibus praecipue cernitur, etsi laboriosa sit, utilitatis causa dicit tractari; etenim ex tota gymnasticae necessario constituendae argumentatione, tum ex iis, quae de adjumentis publicis ac de concertatione praemiisque in gymnicis ludis decernendis dicta sunt, satis patet, eam, quae cunctae Graeciae maxime comprobata et accepta fuerit, Platoni et ipsi per semet ipsam, ob voluptatem et artificium insitum, visam fuisse optandam. Simul, quanti omnino momenti illam fecerit, ostendunt ea, quae palaestritas cum de corporis structura, valetudine et morbis, tum de cibo et potu sumendo omnique vivendi modo et callere et praescribere voluit. Qui diaetae videlicet

---

60) cf. quae supra de gignendis animi morbis relata sunt initio §. 2.

doctrinae, et ejus quidem latioris ambitus, ut periti sint, atque physiologiae, qua ratione recentiores colunt, id disertis verbis postulat.

Haec igitur sunt, quibus, licet obiter tantummodo, affudimus aliquid lucis. Omnia vero, quae, variis in dialogis disperse et diffuse dicta, unum sub adspectum subjecimus, si tali modo juvat commendatissima accipere, quaeri potest, an nihil tandem sit gymnasticae, quod Platoni ipsi vel vituperandum, vel plane damnandum sit visum? Cui quaestioni ut satisfaciamus, quoniam nonnulla hujusmodi sunt, quanquam non ex arte ipsa, sed ex perverso ejus usu oriunda, evolvamus rursus philosophi nostri opera. Primum in dialogo, qui Gorgias [61]) inscribitur, legimus, ut summatim referamus, corporis vim et agilitatem, quam quis gymnasticis exercitiis nactus aliis superior sit, in nullius injuriam esse convertendam. Sed de his infra. Deinde nobis occurrunt verba in libris de legibus haecce [62]): „videtur difficile esse de rebus ad civitatem spectantibus aeque re et verbis haud ambigere. Nam quemadmodum in corporibus fieri non potest, ut corpori uni unum studium praescribatur, quod non idem reperiatur partim corpora nostra laedens, partim juvans, sic et in civitate; nam gymnasia quoque illa et convivia communia multis aliis in rebus nunc prosunt civitatibus, ad seditiones vero gravia se exhibent; id quod ostendunt Milesiorum, Boeotorum, Thuriorum filii. Atque etiam institutum hoc a pristinis inde temporibus lege sancitum naturales amoris appetitiones non solum hominum, verum etiam animalium videtur corrupisse. Cujus quidem rei causam Lacedaemoniorum et Cretensium civitatibus primis quispiam attribuerit omnibusque reliquis, quae maxime exercitationes gymnasticas attingunt“.

Graeci igitur, magistri gymnasticae omnium saeculorum praestantissimi, quidquid sit reprehendendum hujus in artis usu, satis cognovere; cognovit et ipse Plato, qui summa philosophandi facultate operam dedit, ut ea artis educandi pars ab omnibus et perspiceretur et acciperetur.

---

61) p. 456. d. — 457. a.
62) I. p. 636.

Attamen nulla attingit vituperatio artem ipsam; subeant potius, ut e Platonis verbis colligi potest, gravem reprehensionem magistratus, qui non curent, ne ea abutantur sese exercentes, nec legibus ferendis, nec viris praeficiendis, qui ipsorum vice provideant, ne res quid mali capiat. Quod ad primum attinet opprobrium, magistros nulla ratione pungit; nam istum abusum cavere decet reipublicae jurisdictionem, rempublicam ipsam, non magistros. Etenim omnibus artibus concertatoriis, nisi hoc ita esset, in eandem reprehensionem foret incurrendum, in eandem omnibus doctrinis, in eandem denique toti philosophiae, cum nunquam absit quisquam, quin, quod noverit, abuti queat 63).

Crimina, in quae deinde, Platone notante, gymnastica vocatur, ipse non aliter, ac primum opprobrium diluit. Animadvertendum scilicet in iis quoque, verbis atque quaecunque bene et intellecta et praescripta sunt, in civium vita res ipsas, omnem in partem, quolibet pravi homines velint, excedentes, non concinne respondere; ut iterum ac tertium usus agendique modus praeceptis, bonis per se et necessariis, vitae cursum quominus sine ulla offensione dirigant et moderentur, resistat. At

---

63) Cf. Polit. I. p. 333. e. — p. 334. b., quo loco cognitionem qualemcunque, quae nobis sit ex usu, detrimento eandem verti posse colloquentes docent, velut morbum qui didicerit cavere et occultare, hunc maxime etiam valere ad eum injiciendum. Sed Plato, cur istud opprobrium putet repellendum, uberius ostendit loco ex Gorgia laudato, Artes concertatorias, dicens, non oportet omnibus adhiberi hominibus; scilicet si quis didicit pugnis certare, pancratium exercere et armis pugnare, ita ut superior sit et amicis et inimicis, non idcirco amicos debet percutere, vel vulnerare, vel adeo interficere; neque per Iovem, si quis, qui in palaestram ventitando robustus et pugil factus est, patrem percutit et matrem, aut alium quempiam familiarium vel amicorum, hanc ob causam consentaneum est palaestrae magistros eosque, qui artem armis pugnandi docent, odisse et expellere ex urbibus. Hi enim tradiderunt artem suam eo consilio, ut juste illi eam adhiberent adversus hostes et injuste facientes, sese defendentes, non adorientes. Itaque non, qui docuerunt, sunt improbi, neque ars in culpa et improba est idcirco, sed, ut opinor, qui non recte ea utuntur. Et eadem ratio est rhetoricae. Potest enim etc.

enim jam Graeci, si primum ad amoris appetitiones, naturae legibus adversantes, spectamus, curabant, ut haec summa juventutis turpitudo e coetibus quoque gymnasticis tolleretur. Solon saltem, ut qui solitudinem et tenebras maxime ad hanc rem suspectas haberet, Atheniensibus edixerat, ne magistri palaestras ante solis ortum aperirent, clauderent vero ante occasum; item ne quis puerilem aetatem egressorum, exceptis magistrorum filiis eorundemque fratrum filiis atque generis, gymnasia intraret, dum pueri intus versarentur. Si quis vero praeter illos fuisset ingressus, capite mulctaretur. Eundem in finem, ut amores isti naturae repugnantes a gymnasiis arcerentur, alia Solonis lege Gymnasiarchi jussi erant adultis hominibus interdicere, ne Mercurii solemnia frequentarent, sic quidem, ut, si permisissent neque gymnasiis exclusissent, ipsi tenerentur lege de corruptela ingenuorum puerorum [64]. Quamquam hujusmodi leges aqud Graecos omnibus temporibus locisque sancitas aut observatas fuisse, habemus, quod in dubio ponamus.

Tum quod gymnasia ad seditiones quoque gravia se exhibent, id ostendere Milesiorum, Boeotorum, Thuriorum filios, tanquam in transitu legimus. At vero crimen, in quod si gymnastica ipsa jure venisset apud Graecos, neque quidquam gravius neque civitati ingratius indagari posset, cum ejus cura omnes, quae salubritatem afferant, institutiones, leges, res communes publicaeque et statuantur et confirmentur. Graeci tamen ceteroqui, quamquam eorum juvenibus pro civitatum ratione frequentiores pluresque, quam nostris, in publicum procedendi datae erant occasiones, nihil aliud, quod gymnasticae esset isti crimini, tradiderunt. Quare, et quod res ipsa cognita postulat, haec ars juvenes Milesiorum, Boeotorum, Thuriorum non sua ipsius vi ac natura, quae quidem nisi in ea esset, ars nihil usquam esset gentium ipsa, impulisse putanda est, sed rebus, quae fortuito, vel loco vel hominibus vel denique civitatibus illis conjunctae,

---

64) Vide his de legibus Aesch. in Timarchum ab initio.

ad tumultum concitare possint, etiamsi seditiosi non sint gymnasticae studiosi. Ita istud crimen a re gymnastica propulsandum est, si qui sunt, qui, ad verba criminosa respicientes, se habere opinentur, quo prolato semel omnibus exercitationibus plagam injiciant maximam. Sed cujusnam, quaeritur, est, statuta et concessa gymnastica, prohibere hunc abusum summum, quo perniciosius nihil usquam reperiri potest? Prohibent publici magistratus, rem scholasticam moderantes, prohibent leges magistris sancitae, quae quidem jubent, ne quid a re gymnastica alieni, quod magistratuum imperiique intersit, aut ipsi movere conentur, aut ab aliis moveri patiantur, tum concedendo, tum indulgendo. Namque facile fieri posse quispiam contendat, ut, etsi magistri sint integerrimi legumque observantissimi, alieni certe tamen homines, qui in palaestram obrepserint, gymnasticis abutantur coetibus, exercitationes ad suam rem peragendam praetexentes, sophistarum Graecorum instar [65].

65) Platonis videlicet dialogum, qui inscribitur Protagoras, jubebunt evolvi, ubi (p. 316. b. — 317. a.) Protagoras Socrati, juvenem quendam ipsi docendum cum verbis tradenti: tu nunc perpende, utrum censeas soli tibi disserendum esse cum solis, an cum aliis, Recte, respondet, prospicis mihi, Socrate; peregrinus enim vir, qui, magnas urbes circumiens, praestantissimis ubique juvenibus persuadet, ut, relicta aliorum consuetudine, et affinium et alienorum, et seniorum et juniorum, ipsi adhaereant, tanquam ipsius consuetudine meliores evasuri, prudenti cautione indiget; magna enim idcirco conflatur invidia, magnae item inimicitiae et insidiae. Atque ego sophisticam artem arbitror esse vetustam, eos autem, qui ipsam factitarint de veteribus viris, veritos ejus invidiam et offensionem, involucrum fecisse ac praetendisse alios aliam artem; nonnullos vero comperi etiam gymnasticam praetexuisse artem, ut Iccus Tarentinus fecit et, qui hodieque vivit, nullo inferior sophista, Herodicus Selybrianus; musicam autem vester Agathocles involucrum fecerat, qui magnus erat sophista, Pythoclides Ceus aliique multi. Qui omnes, ut dico, invidiam veriti his artibus pro integumentis usi sunt. Ego vero iis, quod ad hoc attinet, non assentior; censeo enim ipsos esse haudquaquam, quod voluissent, assecutos, quia, quorum causa haec sunt simulationis integumenta, eos non latuerint, viros illos, penes quos est civitatis administrandae potestas.

Sic patet, qua ratione id quoque, quod, gymnasticae factitandae junctum, multum damni afferre commemorat Plato, possit arceri vel potius supprimi. Corporis vero per gymnasticam cura Graecis maxime necessaria erat comprobata; quibus videbatur pulcherrimum, hominis, qui liber natus in populi vitam prodiret, fingere totam naturam, et mentem et corpus, mentisque partes singulas, animum, ingenium; quae omnia, vi hominis nulla quasi in somno relicta, ita conformare studebant, ut mens ingenio pariter acute planeque intelligeret, atque animo recte beneque sentiret, corporis autem vires exercitationibus gymnasticis, quantum fieri posset, non augerentur modo, verum etiam agiles redderentur, ideoque vires mentis sanae sano in corpore sustentarentur. Igitur hominem Graecum, qui ita educatus est, videmus quanta concinnitate corporis et mentis, quanta facultate ea faciendi, quae mente ceperit, quanta tandem conscientia se posse, quocunque rerum et temporum venerit, humana vita prudenter hilaribusque sensibus frui, eamque cum altera etiam hilariore commutaturum esse! Quibus causis eo Graeci pervenere, ut, sua freti humanitate suisque omnibus institutis, se extollerent supra quemque, qui non erat Graecus, sed Barbarus vocabatur. Tantus erat animorum vigor; quo impulsi, quae, Deo volente, hominum sunt, pro suo, quo florebant, saeculo praeclarissime sunt exsecuti.

Ita et omnibus quidem paene numeris si laudamus Graecos, fortasse quispiam arbitratur, nos non posse, quin praeclaras detrectemus virtutes nationibus ceteris, quae quidem multis post saeculis plus profecerint, quam illi antea. Quod nos quidem non ignoramus, quodque quo negemus pacto, neutiquam habemus, ut, si omnem humanitatem, hoc est, omnes partes, quibus humani generis mens continetur, circumspicimus, concedamus libentissime, nostrae aetatis nationes, genere multis saeculis provecto, se Graecis plurimis in rebus adaequare, multis etiam iis praecurrere, praecipue nostram juventutem pluribus disciplinis et doctius institui, nec sine jure. Sed hic agebatur, ut, in qua gravissima re plurimum ad hoc usque tempus valuerint omnium gentium, innueremus; ut etiam atque

etiam pro certo haberemus, Graecos nos anteire universa ratione vel consilio educandi, corpus gymnastica curantes, mentem musica, nos denique antecellere, non quo sapientiores e sese excitaverint viros, qui, ut Plato divinus, certam educandi viam tum intelligerent tum praeciperent (nos enim hujusmodi viris ut careamus, tantum abest, ut iis illustremur), sed quoniam, id quod gravissimum est, usum ipsum ad artem praeceptam adjunxerunt saluberrime.

